466 82



QUÆSTIO MEDICA

A MEDICORUM CARNOTENSIUM COLLEGIO

PROPOSITA



ET POMERIDIANIS DISPUTATIONIBUS AGITANDA

Die mensis Septembris, Anno verò 1732.

An quælibet operationes Chirurgiæ coràm Medico eoque imperante celebrari debeant?

I.

MEDICINA non instabilis, non inconstans, sed certis legibus addicta, salutari effectu nunquàm destituitur. Namque Medicina est imitatio naturæ, sed est opus Dei natura, quæ quamvìs indocta & (a) incogitans, summi tamen opificis voluntatem exequitur. Hanc pari passu verna contubernalis sequi debet ars sanandi, quæ quamvìs non sanet omnes, & omnibus tandèm sit moriendum, non ideò manca & caduca censenda est: cùm corpus insanabile non sit objectum Medicinæ; nec, si sanabilis quispiam affectus non sanetur, saluberrimæ artis vitio verti debet: vitium enim est operarii, non artis. Nam si optimos invenias Medicos, pessimos quoquè reperies; indéque magìs elucescit existentia (b) Medicinæ. Itàque qui saluberrimam artem vult profiteri, summa cura debet anniti, ut naturæ cultor nec parcus, nec infrequens cùm ipsa (c) cohabitet. Quoniam verò ars longa, vita (d) brevis, institutione opus est à (e) puero. Primùm linguæ Græcæ & Latinæ peritiâ, tanquàm viatico muniatur; nemini enim ad Medicinam accedere datur, quem fugit eorum dictio, qui scriptis Medica mysteria consignârunt. Tùm physicis, mechanicis, geometricis (f) imbuatur principiis, tùm logicis, quibus dirigatur ad cogitandum, non ad garriendum. Quamquàm enim multa sunt ex his ad artem non pertinentia, tamen adjuvant excitando artificis (g) ingenium. Duobus præcipuè cardinibus nititur Medicina, ratione & observatione, sed ad observationem semper rationis filum (h) dirigendum. Ut utramque consequatur juvenis jam artium liberalium cognitione imbutus, non cunctanter studeat Anatomiæ, Botanicæ, Pharmaciæ & Chymiæ; sed singulis se præbeat totum, tanquàm singularum in posterum futurus magister: ut, dùm ad praxim pervenerit, plenis velis navigare possit. Nec enim putes corporis affectus sivè externos, sivè internos cogniturum, qui hominis fabricam & œconomiam ignoraverit, aut singulis affectibus remedia inventurum, si simplicia aut composita medicamenta nesciverit. Harum itàque disciplinarum peritissimos adeat magistros, quos loco parentum (i) veneretur, quosque attentè audiat, & quibuscum operi manum adhibeat. Neque animalium, plantarum, aut mineralium cognitioni acquiescat, sed singulorum partes medicas perscrutetur odore, tactu, sapore, analysi Chymicâ, imò salium, cum simplicium succis perfusione, ut ex coloris, odoris aut saporis mutatione, cujusque nativas mixturas expiscetur. Hìnc nempè cognoscet an partes solidas nimiùm crispatas laxent, an nimiùm stimulatas demulceant, aut nimiùm torpidas stimulent,

(a) Hippocrates de alimento.
(b) Hipp de priscâ Medicinâ.
(c) Baglivius.
(d) Hipp. aph. primo lib. 2.
(e) Idem.
(f) Idem epist. ad Thessalum.
(g) Celsus in præmio.
(h) Baglivius p. 5.
(i) Hipp. in Jurejurando.

aut nimiùm laxatas intendant; an liquida nimiùm soluta inspissare valeant, aut nimiùm inspissata diluere; an eadem deficientia reparare. Intelligat quæ quibus visceribus, inter adstringentia, stimulantia & laxantia, quadrare usus compererit. Præcipuè indigenorum mixtorum vires perscrutabitur, ut Medicinam habeat parabilem & ubique obviam. Cognitâ (quantùm humanum est) medicamentorum actione, ad diætam pergat, sine quâ nullos morbos sanatos, & quâ solâ, nullo adhibito medicamento, multos curatos invenies. Discat igitur quis ægrotus cibandus cerealidus, quis oleraceis, aut intybaceis, aut leguminosis, quis oleosis, quis demulcentibus aut viscosis? Cui competat diæta ex junioribus animalibus petita? Quàm paucis & quibus veterum animalium carnes, quàm paucioribus ferinæ conveniant? Quibus piscium genus anteponendum? Quibus diæta medicamentis alterata? Cui vinum medicamentum? Cui venenum? Nec ignoret summas cœli & soli mutationum dotes, balnearum, thermarum, acidularum energiam, frictiones & exercitia variis chronicis affectibus varia & diversi ægrotantium situs aut decubitus commoda. Quibus (quantùm per vires licuerit) institutus, rebus pathologicis se præbeat. Nocturnâ & diurnâ meditatione è veterum scriptis morborum historias, symptomata, prognosim, diagnosim: à recentioribus iisque selectissimis, affectuum causas eruat. Sporadicos affectus ab epidemicis, endemios ab adventitiis, acutos à chronicis discriminet. Nec ignoret an liquidi nimiùm cohærentis aut dissociati culpâ, an in alienâ vasâ extrà genuinum circulum aberrantis vitio fiant? Utrùm solidorum stricturâ, utrùm laxitate, an utriusque in diversis locis culpâ pendeant? Quæ quibus morbis effugia, symptomata & crises, quæ epigeneses, qui affectus in quos mutentur, jure societatis, viciniæ, originis, officii? Morborum initia, exacerbationes, decrementum, ipsorumque ætates ex pulsu, linguâ, decubitu, facie, voce, excretis & retentis, sanguinis è venâ exilientis impetu plus minùs citato; aut ex ejusdem refrigerati facie aut consistentiâ discriminet. Sed imprimis sciat morbos esse naturæ conamina, per quæ exurgit ad propellendum ea quæ (a) affligunt. Qui inter hæc fuerit nutritus, poterit aliquandò apud ægrotos (quod summum Medicum decet) præterita enarrare, præsentia cognoscere, futura prædicere & optimi practici munere defungi. Neque hæc quamvis multa juveni sufficiant. Priùs enim quàm ægrorum curam suscipiat, veteribus diù assideat practicis in nosocomiis, eorumque utatur consiliis, etiam susceptâ ægrotantium curâ, ne statim à libris & laboratoriis ad praxim, tanquàm in alium terrarum orbem delatus, experimenta per mortes ducat. Affectibus externis non minùs quàm internis se præbeat. Tumorum itàque & abscessuum reconditas causas, vulnerum discrimina, fractorum & luxatorum naturam, quæque ad artem manualem spectant perspecta habeat, non ex contractis infimæ notæ opusculis, quæ invitâ Minervâ ex vappido prodiere cerebro; neque perfunctoriè se gerat, sed certis magnorum Medicorum observationibus immoretur, si vult aliquid trahere quod animo fideliter sedeat. Chirurgicis etiam operationibus intersit, & operantium manus oculis sequatur, nec pudeat eum discere à ministris, in quorum etiam erratis (si mechanicis & anatomicis fuerit præceptis imbutus) inveniet undè fiat cautus alieno periculo. Neque spectaculo acquiescat, sed ipse in mortuis vivorum solamina quærat, & quæ in vivente peracta vidit, attentè in cadaveribus repetat, & an quid melius perfici possit (Chirurgos ipsos edocturus) sinè periculo experiatur. Imò saluberrimæ Parisiensis Falcultatis morem secutus, non indecoro, effusè benignus, pauperum pure sordescere se (b) patiatur. Ardua Chirurgis & inexperta suscipere non vereatur, sicut famigeratissimus Litrius, qui foetus in abdomine extrà uterum putrefacti ossa, ex ulcerato recto intestino, per anum volens volenti mulieri, non sine inaudito successu, paulatìm (c) eduxit. Hæc sedulò omnia adimpleat munia, neque divertatur alienis negotiis, recordatus Medicinam naturæ vicariam, nullis limitibus circumscribi, & quantùm alienæ arti datur otii, tantùm Medicinæ decedere. Sed caveat Medicus, ne dotes tanto labore conquisitas morum corruptela contaminet: quos habeat tàm sanctos ut ne vel minimæ criminis, vel vitii suspicioni locum dare possit. Puras habere manus sibi lucro appo-

(a) *Actuarius pag. 22 & Sydenham in proœmio.*

(b) Arrêt du Parlement de Paris, du 15. Mai 1640.

(c) Memoires de l'Academ. de l'an. 1704. pag. 234.

nat. Æquè se præbeat pauperi ac diviti. Imò divitibus sanitatem restituisse contentus de pretio non contendat. Pecuniam enim si acriùs exegerit, se homini servato mancipium præbet, nullamque ampliùs memoris animi gratitudini (quæ suprà aurum est) causam relinquit. Absit igitur à liberali arte, indigna quælibet exactio, & ad prophana circulatorum theatra recedat, vilis crumenarum emunctor, qui cùm infimæ sortis ægrotorum loculos jam exsiccarit, ne quid avaritiæ suæ inexpertum relinquat, ipsorum quoquè opus aut operam extorquere non erubescit.

II.

Medicina est mundò coæva ut enim vivere & pati ferè perindè est, morborum solamina quærendi primos homines incessit necessitas. Sed ab Ægyptiis primùm nobiliùs excultam ad Græcos transtulit Æsculapius, à quo Asclepiadarum clarissimum genus, quod tres celeberrimas instituit scholas, Cnidiam, Rhodiam & Coam. Inter cæteras eminens Coa magnum habuit (*a*) Hippocratem, qui filius Heraclidis, & ab Æsculapio vigesimus secundus, Medicinæ princeps sectæque rationalis auctor, exceptas ab avis & Herodico præceptore observationes locupletavit indefesso labore, candore eximio, judicio acri. Omnia tamen quæ tanti viri nomine circumferuntur opera non sunt ipsius genuina progenies; sed legitima distingues ab alienis styli majestate, brevitate sententiosâ, rerum pondere & eo præsertìm quod missis affectuum remotioribus causis, proximas tantùm admiserit. Non mediocrem quoquè famam eodem tempore & paulò post consecuti sunt Diocles Carystius & Praxagoras (*b*) Coiis; quos excepere Erasistratus & Herophilus (*c*) clarissimi Anatomici, & Plistonicus, ex quorum scholis multi iique optimi Medici quaquaversùm progerminârunt, pathologiâ, diætetice, materiâ medicâ, & chirurgiâ clari. Tunc tamen manu pauci utebantur: nam sub Erasistrato & Herophylo superbientes ministri, quibus Medici viliora committebant artis opera, (*d*) partes quisque suas nullo ducente acturi heris suis se subduxerunt. *Tùm primùm Medicina in tres partes diducta est ut una esset quæ victu curaret, eaque erat nobilior, altera quæ medicamentis, tertia quæ manu mederetur.* (*e*) Hæc fuere illustria separatæ à Medicinâ Chirurgiæ natalia. Pharmaceutæ medicamentis externè tantùm apponendis, Chirurgi operationibus tantùm acquieverunt. Verùm Diæthetici, ut omnium clarissimi, ita altiora quædam agitare conati, naturalium rerum cognitionem sibi vindicârunt. Hìnc (proùt quisque diversam Philosophiæ partem complexus est) Hippocratis tamen praxi addicti, & ab eo solo philosophandi genere dissimiles, variis principiis Medicinam cœperunt illustrare, exceptis Empiricis, qui Acronis Hippocrate ipso antiquioris placitis mancipati, soli observationi se tradidere. Inter Medico-philosophos, qui ab Hippocratis paululùm principiis deflexerunt, sectarum authores, magnam sibi famam pepererunt Erasistratus qui cibos vi ventriculi atterentis comminui (*f*) asseveravit, & Plistonicus qui eosdem putrefactione credidit eliquari. Eorum sectæ quingentis annis celeberrimæ viguerunt; donec Asclepiades (*g*) à diversâ pororum diametro & fluentium corporum cum poris quadratione, sanitatem stare credidit, & si contrà eveniret ægotare hominem. A principiis magistri sui Asclepiadis paululùm deflectens Themison sectam methodicam instituit, stricto, laxo & utroque pro morborum causâ constitutis. A cæterorum praxi discrepavit quod raro venæ sectione & catharsi uteretur, sed ægrotos multo jejunio maceraret. Floruere quoquè Pneumatici institutore Athæneo Attaliensi, qui functionum causas spiritibus benè affectis, eorumque discrasiæ morborum originem imputavit, non multùm à methodicis dispar, quod à solidis multas morborum causas repeteret. Quantam in describendis morbis eorumque causis, & in diætæ, aut medicaminum delectu diligentiam adhibuerint Methodici & Pneumatici, ex superstitibus Coelio methodico, & Arethæo Actuarioque Pneumaticis datur intelligendum. Ex omnium tandem dissidiis emerserunt Episynthetici dicti quod è singulorum placitis systema compingerent, ut Leonides Tarentinus & Electi seu potiùs Eclectici, qui ex diversis sectis ea selegerunt quæ magis ad morborum cognitionem facere viderentur, ut Archigenes (*h*) Syrius. Quùm Methodici suprà cæteros eminerent,

(*a*) *Natum olympiadis octavâ anno primo secundùm Soran. in vitâ Hipp.*

(*b*) *Coætaneus Hipp.*

(*c*) *Vixit sub Ptolomæo Sotero.*

(*d*) Le Clerc, Hist. de la Med. p. 335

(*e*) *Cornelius Celsus in Præf. ad primum libr.*

(*f*) *Corn Cels. in Præfat. ad primum libr.*

(*g*) *Floruit Romæ Pompeii magni temporibus.*

(*h*) *Floruit imperante Trajano.*

sectas omnes absorbuit (*a*) Galenus, Practicæ, Anatomiæ, Chirurgiæ, Pharmaciæ scientiâ commendabilis; sed eo minùs laudandus quod propriæ gloriæ & cæterorum contemptui nimis studuerit, neque ipsi pepercerit Hippocrati. Quamvìs enim Galenum in verba magni dictatoris jurasse diceres, illum Medici oculatiores *in hujus censurâ magìs, quàm librorum expositione laborasse* (*b*) *deprehenderunt*, aut ab ejus placitis nunc apertè nunc clanculum deflexisse, & sua interdùm à Medicinæ principis sensu aliena, majoris authoritatis gratiâ pro Hippocraticis (*c*) venditasse. Optimi quoquè post Galenum claruere Medici ex quibus non silendi (*d*) Oribasius, (*e*) Paulus, (*f*) Aëtius viri non minùs Chirurgiâ, quàm morborum internorum cognitione, clari, quibus parilis officii causâ, Celsus (*g*) ætate superior jungatur. Hi nempè nullas ferè prætermiserunt operationes manuales, imò multas celebrârunt hodiè magno mortalium malo neglectas, hique soli post Hippocratem antiquam Chirurgiam cum Galeno ad nos transmiserunt.

III.

GRæcis & Latinis successere Arabes (*h*) qui declinante Orientis Imperio, summâ ferè rerum Orientalium potiti, Medicorum quoquè spoliis ditescere non dubitârunt. Quare ne mirere quod in eorum scriptis Græcorum Medicinam in frustulâ sparsam invenias. Suo eos tamen elogio dignos fatebere, quod multa Græcis incognita publici juris fecerint. Primus nempè Avenzoar (*i*) inflammationem pericardii & mediastini cognovit & sanavit. Rhases (*l*) & Avicenna de venâ Medinensi & Persico igne disseruêre, & morbillorum variolarumque historiam & curam tàm nitidè exposuêre, ut posteris facultatem compilandi potiùs, quàm inveniendi reliquerint. Chirurgiæ laude potissimùm floruere Arabes, teste Albucasi, & Medicâ materiâ ut qui Cassiam purgantem, Mannam, Sennam, Rhabarbarum, Tamarindos (*m*) acutorum morborum purgantia, quibus hactenùs caruerat Medicina, in usum vocaverint. Chymiæ quoquè ab Ægyptiis primùm inventæ multisque sæculis sopitæ, scintillulas exsuscitârunt. Qui Arabum scripta novit, ducentos qui secuti sunt, Medicos, noverit per totam Europam quingentis annis Arabum famulitio addictos. In eorum tamen stylo barbaro multa quæ ad Chymiam, praxìm & Chirurgiam spectant, non mediocria reperies. Quare Medicina, dùm cæteræ silerent artes, sola non obmutuit vires tandem resumptura. Nam Constantinopoli à Mahometo secundo captâ, & Græciâ ferro & flammâ vastatâ, terrore perculsi quotquot eruditi supererant, in Italiam secessere ac in Galliam Francisci primi regali munificentiâ invitati se recepere. Hìnc primùm Hippocrates, Galenus cæterique quotquot supererant Græcorum Medicorum principes, latinâ civitate donati, cœptumque est ad genuinos fontes recurrere. Præcipuè autem mentem Hippocratis haud multò post doctissimis exposuerunt scholiis in Academiâ Parisiensi omnium divini senis interpretum antesignani Hollerius, Duretus, Martinus & Jacotius Arelatensis Medicus; in Italiâ Mercurialis posteàque Martianus; in Hispaniâ Valesius multique alii. Plurimi Græcorum genio afflati omnibus incubuêre Medicinæ partibus, tùm Botanicæ & Practicæ, tùm Anatomiæ & Chirurgiæ quarum culturæ à Medicis semper allaboratum. At proùt quisquis diversis fuerat institutus Philosophiæ præceptis antiqua suscitaverunt systemata. Sic quorum tenuem tantùm adumbrationem delineaverunt veteres, novæ & experimentalis Philosophiæ subsidio locupletârunt neoterici Primus Arabicæ servitutis jugum excussisse creditus est Theophrastus (*n*) Paracelsus. Hìc quoquè Græcorum monumenta contempsit ausu impudentissimo, & reperto in Germaniâ Basilii Valentini Benedictini opere chymico, quæ indè excerpsit, pro suis (*o*) venditavit, tribus admissis principiis resinâ, sale, (*p*) sulphure In eo tamen profuisse fatebere, quod Chymiæ ab Ægyptiis primùm inventæ, ab Arabibus paululùm excultæ, & in usum Medicum vocatæ, à se latrocinio subreptæ, posteris accuratiùs excolendæ desiderium reliquerit. Nec multò post Helmontius duo causarum corporalium principia constituit, *aquam nimirùm principium ex quo, & fermentum, sivè initium seminale per quod*, quod vocat (*q*) *dispositivum*, in genere omni

(*a*) *Imperante Antonio & Marco Aurelio.*
(*b*) *Prosp Martianus, in Hipp. Præfat.*
(*c*) *Conringius introd. ad Med.* p. 88.
(*d*) *Vixit anno Chr.* 360. Freind Hist de la Med p. 2.
(*e*) *Vixit exeunte sexto sæculo.*
(*f*) *Desinente sæculo quinto.*
(*g*) *Sub Tiberio.*
(*h*) *Incipiente octavo sæculo.*
(*i*) *Anno* 827.
(*l*) *Anno* 960.
(*m*) *Mesüe de re medicâ. cap* 2. *libro secundo.*
(*n*) *Natus anno* 1493 *secundùm Mechlinum in Vanderlinden.*
(*o*) *Helmontius* p. 23.
(*p*) *Paracelsus. in labyrintho med. cap.* [illegible]
(*q*) *Helmontius*, p. 22.

animato corpori & speciatim singulis quibusque ejusdem partibus innatum ; singulorumque medicamentorum simplicium vim à proprio archeo pendere putavit. Verùm quamvìs multa obscura, obscuriori stylo tradiderit; non tamen contemnendus, *quod errores sui sæculi acriter perstringendo, torpentia ingenia revocaverit ad experimentalem (a) Philosophiam.* Sylvius alimenta in ventriculo fermentari voluit, salivæ acido fermento, & eadem in intestinum delapsa conflictu succi pancreatici, salivæ congeneris & bilis sale lixivioso retorrido foetæ, in chylum immutari & Plistonici putrefactionem cum Helmontio suscitare videtur. Willisius ejusdem paulò aliter, Plistonici restaurator, & non absimilibus principiis insistens, *in ventriculi plicis acidum fermentum recondi asserit, & vitæ initium à spiritu in corde velut punctulo quodam fermentescente duci (b)* autumat, cujus occursu sanguis impetuosè effervescit, singulaque viscera suo gaudere fermento putat. Hunc quamvìs multotiès oberravit, maximâ laude dignum fatebere quod affectuum hystericorum & melancholicorum causam, primus generi nervoso tribuerit. Cole Charleton (c) & socii Asclepiadis simul & Plistonici principiis addicti figuram liquidi in glandulis secernendi, cum incerniculis figurâ & diametro quadrare asserunt, vocatis priùs in subsidium prævio ventriculi glandularum, mesenterii & colatoriorum ipsorum fermento, aëris accessione & vasorum angustiâ. Sydenhamius missis remotioribus causis, proximis ut Hippocrates incubuit & observationi totum se tradidit. Mortonus eclecticus, Pneumaticæ fermenta permiscuit & febres acutas ab accenso sanguine oriri putavit, spiritibus animalibus miasmate deleterio (d) afflictis, & ab eorumdem fermento venenato affectorum (e) expansione, ternis aut quaternis diebus obortâ, febres periodicas recurrere. Sed ipsum de re medicâ optimè meritum non inficiabere, quòd phtisim in suas species diviserit, multasque de variolis, & vario febrium intermittentium genio luculentissimas observationes tradiderit. Tandem verò sapientissimi naturæ interpretes Chymiam quamvìs pulcherrimam, naturæ indagatricem, Medicinæ tamen servire, non imperare jusserunt missisque archëi & fermentorum furoribus, œconomiam animalem merè systalticam esse (f) deprehendere & stricto laxoque methodicorum nobilius quàm ipsi methodici cooptatis; demonstravêre corpus humanum ex uno tubulo elastico constare in infinitas propagines gracilescente, à corde orto ad cor reflexo; in quo non sine alterno renixu, sanguis alternis pressionibus duci & comminui se patitur. Quâ naturæ simplicitate missis glandularum fermentis & pororum configurationibus diversis; secundùm varios extremarum arteriarum reptatus, diversasque à corde distantias & inclinationes versùs superiora, aut inferiora; genuinis suis colatoriis offeruntur succi priùs à sanguine secreti, quàm proprio incerniculo se præbeant. Hinc rectè noveris morbos à solidorum potentiis auctis vel imminutis, seu stricto vel laxo generari & fluidorum coagulationes, aut dissociationes, aut effusiones in alienâ vasâ, sæpiùs à fibræ motricis statu morboso, quàm ab ipsorum fluidorum vitio pendere; neque magìs facere acidum & alkali ad corporis sani œconomiam, quàm ad horologii (g) motum. Ex dictis intelligas artem sanandi non inertiæ, aut brevis temporis esse filiam. Sed ab orbe condito non sine multo, multorum virorum labore accrevisse, quandòque ut magna imperia per bella & dissidia, ex quibus aliquid semper artis summæ accessisse deprehendes. Nam si quid inter multa præclarè excogitata, magni Medici peccaverint, in illorum tamen erratis quamdam invenies dignitatem, quæ posteris altiùs & æquiùs cogitandi causam reliquit.

(a) Conringius introd. Med.

(b) Pag. 1[illegible] tom. primo.

(c) Biblioth. anat. tom. 2. pag. 865. & 866.

(d) Morton, pag. 185.

(e) Idem, pag. 183.

(f) Bellini Baglivi, Pitcarnius, Hecquet, Sthal, Ruischius, Borellus, Freind, Bianchi, Sanctorinus, multique ejusdem celebritatis Medici.

(g) Freind, Hist. de la Med. pag. 261.

IV.

Medicina quinque partes habet; magistras duas, Physiologiam & Pathologiam; famulas tres Diætam, Pharmaciam & Chirurgiam. Chirurgia de quâ solâ hìc locus, docet rectum usum operationum quæ in corpore exercentur. Hæc ab antiquissimis Medicis inventa & exculta, ab iis qui successerunt aucta & à recentioribus expolita, sæpè multisque in locis transmissa est ministris quos hanc artem præceptis, consilio, scriptis, pro singulorum captu, docuerunt; cujus Medicinæ partis si naturam perpendas, & quomodò

ab antiquis Medicis exercebatur, & etiamnùm à multis iisque doctissimis Germaniæ, Italiæ, Bataviæ, Medicis peragitur, illam esse invenies præclarum artis Medicæ opus, circà eos affectus qui manus opem requirunt, & egregiæ charitatis officium: sed si spectetur qualis à Chirurgis tantum opificibus, ac præcipuè Galliæ, exercetur, hanc dividere expedit in operatoriam quæ nudè operationes spectat, & tonsoriam. Illa Medicinæ pars ministra, & Chirurgus Medici manus quæ ab eo separari non debet, & sine eo quicquàm arduum agere vix potest. Undè majores nostri seniorem Medicum, juniorem Chirurgum laudabant, quod hic tantùm manus dexteritate, ille multâ lectione & observatione summâque ingenii vi valeat & Chirurgo præesse debeat. Sed si ad tonsoriam convertatur oratio, hæc totius generis humani famula eaque vilissima. Ecquid enim famulare magìs & viliùs, quàm quemvis domi & per domos lavare & radere? hæc sunt tamen præcipua novitiorum tyrocinia & magistrorum exercitia. Non minùs talium opificum dignitatem arguunt sua insignia. His præ foribus pendent patellæ & imagines, alias feriaturis, si suis meritoriis talia desint decora. Utrique studia juvenum respondent, unus solido quoque anno Anatomiæ, unus operationum circuitus, sed uterque solùm hebdomadarius & maximis tantùm in urbibus à doctoribus ferè sine litteris institutus. His ministri & tyrones interesse possunt, si fortè ab opere tonsorio vacaverint, non enim facilè magister quicquàm æris, peculium domesticum, suorum absentiâ præterfugere patitur. Sed esto & ministri & tyrones utrique spectaculo interesse possint, paucissima præ objectorum distantiâ vident. Digniùs tyronum officium circà sanguinis missionem versatur quâ frequentissimè exercentur. Sed in privatis ægrorum domiciliis rarò intersunt aut vulnerum medicationi, aut operationibus, nisi casus ministros requirat. Rarissimè nec nisi levissimi momenti tumores aperiunt. Alias ipsis doctrinæ & exercitii locum tenent anatomica (Chirurgorum fœturæ) breviaria Gallica, aut similis energiæ operationum tractatus. Ibi cùm ab officio consueto feriantur, si à lectione non fastidiant, ea decerpunt quæ juvenibus nullâ liberalium artium institutione ornatis expiscari fas est. Hæ sunt novitiis artis suppetiæ, nisi scientia per somnos ipsis cœlitùs inspiretur, nam ut plurimùm noctu excelsa loca & impluvio vicina habitant. Inter talia exercitia, studia & artis ornamenta quanto magistri & socii imò & novitii verborum strepitu, quantâ tumeant superbiâ, trito fertur (a) adagio. Sed quod mirere magis, Chirurgorum coryphæi artis suæ (cujus principes authores ignorant) se illustratores profiteri audent. Verùm neque recentiores Chirurgos, neque antiquiorum Medicorum ministrós, quicquam nisi levissimi momenti ad artem quam profitentur contulisse planè obvium. Sed omnem diluet errorem quivis Anatomiæ & Chirurgiæ peritus. Hunc enim non fugit Hippocratem, & qui eum præcesserunt, prima delineavisse Anatomiæ rudimenta, & post eum ad Galeni tempora multos Medicos Anatomicis observationibus (b) claruisse. Ossium structuram, & articulationes musculosque, & viscerum situm adeò cognovit Galenus, ut pauca de hâc parte posteris invenienda reliquerit. Multos nervorum surculos ac præcipuè recurrentem descripsit. Primus arterialem canalem & foramen ovale in fœtuum corde, & nervorum opticorum originem, aliaque multa deprehendit. A Galeno ad sæculum decimum quartum si Medici minùs Anatomiâ nomen suum commendârunt, non tamen eâ caruerunt. Sed hanc novem sæculis minùs excultam refocillârunt Mundinus (c) & primus Fallopii judicio Anatomiæ restaurator Jacobus (d) Berengarius, Nicolaus (e) Maza, Sylvius (f) Ambianus, quem secutus est ipsius auditor (g) Vesalius, exquisitâ ossium, musculorum eorumque originis & insertionis cognitione multisque inventis clarus, & (h) Fallopius uteri tubarum inventione commendatus, quibus annumeres (i) Eustachium observationibus de renibus, aure internâ, dentibus, azygo venâ, multam consecutum famam &. (l) Arantium, qui primus uterum suo fœtu prægnantem publicè ostendit. Sed fidem superat Medicorum decimi septimi & præsentis seculi fertilis peritia. Cognoverat olìm Erasistratus, utris inflati ritu, impleri arterias corde spiritum nem-

(a) Glorieux comme un Barbier.

(b) *Quales Diocles Carystius, Praxagoras Coüs, Herophilus, Plistonicus, Erasistratus, Philotinus, Mnesitëus, Chrysippus, Euriphon, Antigenes & Satyrus. omnes passim à Galeno citati.*

(c d) *Medici Bononienses.*

(e) *Med. Venetus.*

(f) *Med. Paris.*

(g) *Med. Philippi II. Hispaniæ Regis.*

(h) *Med. Patav. anat. Profes. natus anno 1480*

(i) *Med. Sancto-Severinus, floruit anno 1550.*

(l) *Bonon. Med. & anat. Profes. obiit anno 1589.*

pè ſanguinem arterioſum exprimente, & prætenſis unicuique ejus orificio cor circumcingi membranis, quibus ad materiæ tùm admittendæ, tùm amandandæ miniſterium, (*a*) uteretur. At ultimo ſeculo demonſtravit Harvëus, quod priùs Cæſalpinus inchoaverat, ſanguinem (*b*) à toto corpore per venas, ad dextrum cordis ventriculum reportari, à quo in pulmonem per arteriam ab eo viſcere nominatam protruditur, ſtatìm in ejuſdem cordis ſiniſtrum thalamum per venam pulmonarem repellendus; undè per aortam arteriam in totum corpus vi cordis pulſoriâ evibratur, ad cor ex quo propulſus eſt, circuitu perenni per venas rediturus. Quod de cordis muſculari ſtructura cognoverat Hippocrates, confirmavit (*c*) Louverus. Hujus nempè muſculi fibras in geminum helicem convolutas ejuſque tendines orificia quatuor ſuccingentes, auricularum muſculares ſpiras totiuſque cordis officium demonſtravit. Pericardii & mediaſtini ſtructuram & originem dilucidavit (*d*) Lanzonus. Malpighius (*e*) ex diſtributionibus aſperæ arteriæ, tandem in veſiculas ex unâ in alteram patentes, deſinentibus, præcipuè conſtare pulmonem obſervavit; veſicularum verò ſuperficiem ab arteriæ pulmonaris reticulatis propaginibus perreptari: ut ſanguis multorum ſuccorum jacturam paſſus, & ſpiſſior factus, rursùmque lymphâ & chylo recreatus, cum ipſis miſceatur, & à ſubeunte veſiculas aëre conteratur. Williſius (*f*) laryngis & fiſtulæ pulmonalis ſtructuram ejuſdemque & venarum & arteriarum tunicas diſtinxit. Ruiſchius (*g*) arteriam bronchialem pulmoni ſuccum nutritium miniſtrantem ejuſque ſociam venam invenit. Caſpar (*h*) Bartholinus duplici tantùm diaphragma conſtare muſculo credidit, tertium Drelincurtius (*i*) invenit. Glandulæ parotidis ductus per quem in os ſaliva effunditur, Stenoni (*l*) primùm patuit. Maxillaris glandulæ vas excretorium ad radicem frænuli linguæ hiantem & ſublinguales glandulas detexit (*m*) Warto. Morgagnus (*n*) & Heiſter (*o*) primi ſublingualium glandularum canales demonſtraverunt. Pecquetus (*p*) in canibus reperiit ductum chyliferum ejuſque ingreſſum in ſubclaviam venàm, & chyli receptaculum in canibus. Sed in homine ciſternam eamque bifidam ſæpè invenêre Heiſterus & (*q*) Cantius. Glandulas ibìdem quandòque in homine receptaculi vicarias priùs invenerat Bartholinus & lymphaticas venas, per quas ſuccus à nutritione reſiduus in venas ſanguineas aut in chyli conceptaculum revehitur. Aſellius (*r*) vaſa lactea chylum ab inteſtinis ad receptaculum vehentia, priùs tamen à Galeno cognita diligentiùs obſervavit. Horum verò & lymphaticorum valvulas, ſucci nutritii regreſſum impedientes, patefecit Ruiſchius. Non pauca de eo argumento ſcripſerunt & invenerunt lectu digniſſima (*s*) Rudbec, Steno, (*t*) Schelamerus. Wartonus indigitavit meſenterium præter membranam à peritonæo utrìnque acceptam, mediâ tertiâ donari quâ vaſa ſanguinea & lactea & glandulæ meſenterii fulciuntur. Pancreatis ductum in duodenum inteſtinum, latices ſuos effundentem Wirtſungus (*u*) demonſtravit, poſt Mauritium (*x*) Hofmannum, qui eundem in Gallo-Pavone invenerat. Inteſtinorum quinque tunicas primus diſtinxit accuratiſſimus (*y*) Fallopius, quas tamen ad duas redigit, carnoſam nempè, fibris rectis & tranverſis inſtructam & peritonæi productione obductam, alteram nervoſam priori duplo longiorem, & in plicas contractam, villosâque intus cruſtâ coopertam. Helvetius (*z*) duas alias celluloſas reperiit, quibus nervea interjacet; in villosâ quoquè papillas poris pervias animadvertit, & interiorem carnoſæ laminam pro circulari habitam, ex circulorum tantùm ſectionibus conſtare docuit. Brunnerus duodeni, Peierus cæterorum inteſtinorum glandulas invenêre. Arteriarum per totam viam nutritiam diſtributarum, varios reptatus & glandularum meſenterii fabricam Ruiſchius demonſtravit. Gliſſonus de hepatis ſitu ipſiuſque vaſorum diſtributionibus, de internâ radicatione ligamenti ſuſpenſorii, & de hactenùs incognitâ pori bilarii & venæ portæ auxiliatrice capſulâ, tractatum elegantem edidit. Quas verò primarii anatomici glanduloſas crediderant venæ portæ propagines minimas, merè vaſculoſas Ruiſchius injectâ materiâ ceraceâ demonſtravit. Hepar bilis flavæ merum incerniculum eſſe ſciebat (*) Eraſiſtratus. Sed noviſſimè Bianchius (**) indicavit bilem priùſquàm

(*a*) *Galenus de Hipp. & Platonis placitis.*
(*b*) *Socius coll. Lond & primar. regis Angliæ medicus ſanguinis ciruitum invenit anno 1628*
(*c*) *Socius Lond. in tractatu propr.*
(*d*) *Med. Ferrar. in epiſt ad Mangetum ſcriptâ anno 1697.*
(*e*) *Med. Roman. anatomicorum ſui temporis primus & ſummi pontif. med. primarius.*
(*f*) *Colleg. Lond Socius.*
(*g*) *Med. Amſtellod. anat. prof. anatomicorum princeps ut qui quatuor volumina propriis obſervationibus compleverit.*
(*h*) *Med Danus.*
(*i*) *Med Lugd. Bat.*
(*l*) *Med. Danus.*
(*m*) *Socius coll. Lond.*
(*n*) *Med & profeſ. anat Ticinenſis ſui ſæculi poſt Ruiſchium primus.*
(*o*) *Helmſtadii Med. prof. doctiſ.*
(*p*) *Diepenſis doct. med.*
(*q*) *Med Batavus.*
(*r*) *Med Ticin.*
(*s*) *Med. Suecus.*
(*t*) *Hamburgenſis Profeſſor Baſileæ.*
(*u*) *Med. Delphenſis.*
(*x*) *Med. Germanus.*
(*y*) *Operum p. 257.*
(*z*) *Med. Pariſ. è regiâ ſcient. Academiâ & Reginæ Galliarum primarius Med.*
(*) *Vide Galen. cap. 13 lib. 1. de uſu partium.*
(**) *Med. Profeſſ. Taurinenſis.*

ad pori bilarii oscula perveniat; jam à sanguine secretam venæ portæ latera obtinere. Justam perspirati cæterorumque excrementorum quantitatem Sanctorius (a) ad trutinæ lancem supputavit. Splenem in homine unicâ circumscribi membranâ & nihil aliud esse quàm congeriem lymphæ-ductuum, nervorum, arteriarum & venarum ostendit Ruischius, qui venæ & arteriæ ramusculos hoc viscus pererrantes animadvertit adeò tenues, ut fere succosi videantur. In renibus tubulos urinarios post Fallopium, ostendit (b) Bellinus ad horum viscerum centrum coeuntes in corpora papillaria, per quæ urina in pelvim traducitur. Ruischius verò manifestavit renum corticem merè vasculosum, non glandulosum, & tubulos Bellinianos meras esse continuationes arteriarum, quæ priusquàm in tubulos urinarios convertantur, circularem reptatum, in serpentinum mutant. De capsulis atrabilariis eleganter disseruêre Malpighius & Morgagnus. Ureterum membranas distinxit Ruischius, eorumdem valvulas (c) Coschwitius. Tunicam vesicæ nerveam exaravit Graafius. Non minùs in revelando generationis mysterio insudârunt Medici. Testiculorum virilium substantiam vasculosam indicârunt primi Arantius & (d) Riolanus. Arterias spermaticas descripsit (e) Guinterius, earumdem & tubulorum seminalium usum & connectionem Graafius. Scroti septum intermedium, vasa sanguinea per testiculos diversa, & singulari modo tubulos seminales perreptantia, portas sivè oscula per quæ semen in testiculo elaboratum defertur ad parastatas, arteriæ & venæ spermaticæ diramationes, epididymidis & vasorum seminalium undulatos reptatus, Ruischius demonstravit Vesicularum seminalium rugosam & reticulatam faciem internam observavit (f) Sanctorinus. Latum ligamentum quo penis jungitur ossium pubis commissuræ, Vesalius invenit. Penis corpus reticulare & cellulosum, tegumentis communibus substratum, & vasorum totam ejus substantiam perceptantium directionem, corporum nerveo-spongiosorum structuram, eorumque septum medium, penis glandem internâ parte spongioso corpore majori constantem, externâ verò spongiosi minoris urethram circumcingentis productione coopertam, vidit Ruischius, & ad vivum delineavit. Glandulam quæ in urethram latices suos effundit, cum suo excretorio vase invenit (g) Litrius. Nec suus honos denegandus Cowpero, Chirurgo laudatissimo, qui ibidem in homine glandulas, quas tamen invenerat priûs in asino, equo, mure Malpighius, cum suis excretoriis vasis reperiit. Graafius (h) lacunas quarum vasa excretoria urethræ muliebris marginem & nerveas vicinarum membranarum fibras succo titillante, inter amplexus conjugales demulcent, ex abdito naturæ sinu eruit. Binæ quoquè usus ejusdem glandulæ ad sinûs pudoris ostium & utriusque tubi sese obtulêre Casparo Bartholino. Latorum uteri ligamentorum intermedia cellulosa membrana, paucis abhinc annis Heisteri curâ, patuit. Graafius (i) ova in femellarum ovariis ab hydatidibus distinxit, & acinos globosos ex dilatatâ, tempore conceptûs ovarii substantiâ conflatos, ovumque fœcundatione turgidulum, in tubæ ostium protrudentes, observavit. Sed primus Steno perscrutatus mulierum & fœminarum quadrupedum ovaria, ovum omnibus animalibus principium esse constituerat. De formato fœtu ejusque nutritione & progressu multa quidem & præstantia (l) Nedam; sed plura accurratissimus Ruischius, qui, ab ovo ad partum, fœtus humanos ipsorumque ossa observavit & delineavit, & musculum spiralem quo placenta uterina post partum ejicitur, plusquàm nonagenarius invenit, adeò ab arte salutiferâ maximus Anatomicus non cessavit. Ejusdem quoquè operâ scimus placentam uterinam priùs pro glandulâ habitam, meram esse vasorum distributionem in capillariâ visum priùs fugientia, desinentem. Canalis arteriosi cujus sanguis in fœtu per hepar, sed hepate insalutato in venam cavam fertur, valvulam descripsit (m) Winslovius. Multa & erudita de sanguinis trajectu in non natis, ab auriculâ dextrâ in sinistram, per foramen ovale, non salutato dextro cordis ventriculo & pulmone, multa de eodem liquido, per canalem ab arteriâ pulmonali in aortam protensum, protruso, insalutatis plumone & sinistro cordis ventriculo, dixêre (n) Vernëus, (o) Tauvri, (p) Verheien, (q) Listerus. Nec de fœtu tantùm

(a) Doct. Med. [...]stinopolitanus.
(b) Doct. Med. [...]alus.
(c) Med. Doct. [...] Profess. Helmstadii.
(d) Med. Paris. [...] Prof. Anat.
(e) Med. Paris.
(f) Protomed. [...]netus.
(g) Doct. Med. [...]arisiens. è Regiâ [...]ient. Academiâ.
(h) Med Delphensis Helmstadis Anat. & Chirurgiæ Prof.
(i) Vide Biblioth. Anat. tom. I. pag. 811.
(l) Med. Lond.
(m) Celeberrimus Anat. & Med Doct. Paris. Acad. Regiæ Socius.
(n) Doct. Med. è Regiâ Academ. Anat. & Chir. Profess. famigeratissim.
(o) Med. Paris. è Reg. scien. Acad.
(p) Doct. Med. Lovanis & Anat. Prof.
(q) Doct. Med. [...]oll. Lond.

tùm ; sed de lactis officinis præclara invenêre Medici. Morgagnus vidit glandulas in papillarum mammæ areolis, & ad papillarum basim serosum lac effundentes & lactiferos ductus ; quales ad papillam pergunt, ad areolarum tubercula contendentes. Pinguedinis mammæ stratum exterius, ab interiori distinxit, & mammæ glandulam inter utrumque adipis stratum positam & ejusdem cellulas, seu lactis receptacula, quæ ad ductus lactiferos pertinent. Eosdem quoquè à cellulis ad papillam produci & nullis dari valvulis ostendit Ruischius. Glandulam mamillæ unicam esse, non verò lobatam demonstravit (a) Fantonus Nerveas papillæ papillulas sensu tàm exquisito præditas, Ruischius evolvit. Multas quoquè de generatione observationes produxerunt Vanhornius, Malpighius, Swammerdamius, cujus aliàs industriæ debemus quidquid lucis & durationis, per injectiones partibus accessit Cerebrum, genus nervosum, & sensuum organa, Medicorum non fugêre accuratam indagationem. Erasistratus (b) intimam nervorum substantiam ex cerebri medullâ constare asseruit ; superficiem verò eorum à meningibus proficisci, easque in nares, linguam, oculos, auresque & quaquaversum ad sensum & motum dispergi. Willisius (c) cerebri ventriculos, ejusque & cerebelli flexus & medullæ oblongatæ distributionem, meningum inclinationes & sinus varios descripsit ; nervis è cranio exeuntibus paria duo & accessorium adjecit. Paris vagi & intercostalis diramationes persecutus est, causamque affectuum hystericorum & melancholicorum nervis assignavit. Multa hujus inventis Vieussenius (d) adjecit, primusque justam in homine nervorum distributionem exhibuit. Præclara de cerebro dissseruerunt (e) Steno, Malpighius & (f) Fracassatus. De puellis sine cerebro natis (g) Wepferus & (h) Raigerus, de durâ meninge Pachionius (i) observationes suas exhibuêre. Membranam Arachnoïdem piæ matri superstratam ipsique multis locis adnatam detexerunt in suo anatomico collegio, Blasius, Sladus, Swammerdamius, (l) Kina. Accuratissimus Heisterus novissimè membranam medullæ spinalis cellulosam, inter primum ejus tegumentum & duræ meningis productionem è tenebris eruit. Sed Ruischius cerebri corticem & piam meningem injectâ ceraceâ materiâ, vasculis innumeris constare manifestavit Lancisius (m) vasculosam & tendineam glanglii structuram evolvit. Fibrarum nervosarum, membranosarum & muscularium fabricam variam detexit [n] Baglivius. Musculorum geometricam descriptionem exhibuit Steno : eorumdem vires mechanicas demonstravit Alphonsus, [o] Borellus. Non siluerunt Medici de sensuum organis. Malpighius tres linguæ tunicas distinxit, externam nempè vaginulis corniculatis & globosis externè horridam, alteram substratam foraminibus perviam, tertiam & ultimam ex quâ papillæ eminent generis triplicis, globosæ nempè, conicæ & capitulatæ, quæ immediatum gustus organum constituunt, cribrosæ foramina permeant, tandemque à cavis exterioris tunicæ vaginulis excipiuntur. Dùm tactus organum perscrutatur in humani digiti apice, avulsâ cuticulâ rugis in spiram ductis asperâ, corpus cribrosum ut in linguâ reperiit, quod in foraminibus suis substratæ cutis eminentias admittit & firmat. Hanc spartam peritissimè quoquè implevit Ruischius, papillarum cutanearum dissolutionibus & ceraceis injectionibus. Nec ignota fuit Malpighio fabrica unguium, quos ex cavis virgulis subjectæ cutis eminentias excipientibus, constare pro certo habuit. Quæ de aure externâ & internâ, de ductibus cartilagineo, carnoso, osseo ; de glandulis ceruminosis, earumque reticulari membranâ, de tympano, ejusque rimâ & chordâ, de ossiculis à (p) Berengario & Fallopio priùs inventis, eorumque musculis ; de nervo auditorio, ejusque portione durâ per faciem distributâ ; de fenestris rotundâ & ovali ; de labyrintho, zonâ sonorâ, vestibulo, canalibus semicircularibus, & cochleâ, aurisque membranis & musculis, sonisque variis immediatum auditûs organum diversimodè pulsantibus, clarissimi Anatomici Verneus, (q) Valsava, (r) Schelamerus scripserunt & ostenderunt, magnum volumen caperent Sed non minùs eleganter in incudis, stapedis, mallei periosteo, arterias hactenùs latitantes demonstravit Ruischius ; cujus non minor fuit dexteritas in in-

(a) *Medicus Taurinensis.*

(b) *Vide Gal. de Placitis Hipp. & Platonis.*

(c) *Doct. Med. coll. Lond. Socius.*

(d) *Doct. Med. & Profes. Monspeliensis.*

(e) *Doct. Med. Danus Prof. Reg.*

(f) *Physicus Bononiensis.*

(g) *Medicus Scafusianus.*

(h) *Med. Posoniensis.*

(i) *Med. Romanus.*

(l) *Medicî Amstellodam.*

(m) *Romæ Med. Pontificis summi IV. Epist. ab eo ad Morgagnum scriptâ de gangliis.*

(n) *Med. Clementis X. Summi Pontificis.*

(o) *Pisis Matheseos Professor.*

(p) *Medico Carpensi.*

(q) *Doct. Med. & Profes. Bonon.*

(r) *Med. Germ*

vestigandâ membranæ pituitariæ & subjecti perichondrii vasculosâ structurâ, osculis secretoriis per pituitariam membranam dispersis & novis nasi reperiendis cartilaginibus. Symbolum quoquè in odoratûs organo & nasi partibus detegendis persolverunt, Morgagnus, qui orificia ductuum lacrymalium in nares hiantium, optimè omnium delineavit, & Sanctorinus, qui quintæ nervorum conjugationis surculos per membranam pituitariam sparsos divisit in fibrillas, quæ odoratûs sensum constituunt. Visûs organum post antiquiorum Medicorum generosissimos conatus, recentiores perscrutati sunt. Meibonius ceruminosas palpebrarum glandulas detexit. In oculi angulo majori, carunculæ lacrymalis glandulas, & pilos & oculi membranam semicircularem, lacrymas in puncta lacrymalia dirigentem ostendit (a) Morgagnus. Glandulam lacrymalem in orbitæ superiori parte & juxtà minorem oculi canthum cum suis excretoriis vasis ad palpebræ superioris marginem hiantibus, invenit Steno. Sed stupenda Ruischius de visûs organo revelavit, inter quæ, notanda veniunt nervorum opticorum, ex diversis fibris compactorum, spongiositas foraminosa, tùm separatio extimi eorumdem involucri in duas lamellas, quarum intima piæ matris productio est. His addas tunicam Ruischianam separatam à choroïdeâ, cujus intimam faciem constituit, & diversum vasorum utriusque reptatum. Nec prætereundi arteriarum retinam perreptantium ramuli, tandem in muscarium expansi, nec arteriæ quæ humoris crystallini tunicam alluunt antè Ruischium invisæ, nec ciliare ligamentum, nec ejusdem processus musculosus, nec circulus minor iridis, pupillæ constrictioni dicatus. Ossium quantumvìs saxea compages, Medicis non intentata fuit. Quæ post multos veteres & recentiores Medicos qui ossium figuram, articulationes, cavitates, epiphyses, apophyses, sinus, eleganter descripserunt, demonstravit Ruischius, quæ argumenti ejusdem in embryonibus, quæ de periostei & perichondrii minimis vasis hactenùs non visis dixit & exaravit, lectu & visu sunt dignissima. Neque minori laude digna sunt, quæ de ossium intimâ texturâ exhibuerunt Clopto Havers (b) & Malpighius, qui eorum substantiam ex fibrosarum lamellarum ordinibus, plerumque parallelis & exudante succo sensim obdurescente firmatis, observavêre. Rem vérò altiùs scrutatus (c) Gagliardus, bracteas membranaceas & cretaceas diversæ figuræ claviculis transfigi & ferruminari demonstravit.

(a) *Advers. Anat. Libro I.*

(b) *Doct. Med. Socius coll. Lond.*

(c) *Med. Rom*

V.

NOn minùs vacârunt Medici chirurgiæ quàm anatomiæ. Quâ dignitate hanc susceperint Medicinæ partem, testantur relicti ab Hippocrate de hâc materiâ libri, quos germanam ipsius fœturam omnes [d] confitentur. Quem cùm audiveris de fractis dissentem, de luxatis, de ulceribus, aut fistulis ac præcipuè ani, de capitis vulneribus, aut fracturâ cranii, de aquis intrà abdomen effusis, aut pure intrà cava pectoris concepto; nihil ipsius prognosi, diagnosi, administrationi diæteticæ & pharmaceuticæ addendum superesse, paucissima circa operandi modum supplenda invenies, & non invitus fatebere chirurgiam eodém, quo Medicina fonte, fuisse ad nos derivatam. Sed quamvis ministri qui, temporibus Erasistrati & Herophili, se suis heris subduxerant, chirurgiam à Medicinâ separaverint, & hanc Medicinæ partem, nullo ducente, susceperint; multi tamen Medici affectibus (e) externis, non minus quam internis operam dederunt, multaque optima à se inventa chartæ mandarunt, quæ quamvis injuriâ temporum deleta, tamen in sequentium Medicorum operibus reviviscunt, cum nullum chirurgorum opificum supersit litterarium monumentum, & ipsi nomine tenus exciderint. Ita ut ex operum ipsorum (si quædam extiterint) & nominum interitu, hominum dignitatem suo pretio æstimare possis. Sed adeò veteres Medici qui secuti sunt Hippocratem, arti manuali insudârunt, ut si operationes ipsis familiares perpendas, multa à neotericis omissa, pauca recens inventa reperias. Quantâ dexteritate Paulus suffusionem, specilli punctorii acie, deorsùm (f) derivaverit, quàm peritè operationem ægylopis & ossis carie vitiati desquammationem fuerit

(d) *Fœsius in præfatione ad sextam sectionem Hipp.*

(e) Le Clerc, Hist. de la Medec. pag 335.

(f) *Paulus lib. 6. cap. 21.*

aggreſſus, Medicis non incognitum. Pus pone corneam effuſum apertâ corneâ (*a*) educebat. Chalazium, ſi foris promineret, exteriùs inciſâ palpebrâ: ſi interiùs, eâdem eversâ & apertâ (*b*) ſeparabat. Palpebras quoquè ſibi invicem aut corneæ adnatas (*c*) diviſit, neque eaſdem intactas reliquit trichiaſi aut diſtichiaſi affectas; ſed exteriùs apertâ palpebræ cute & deinde conſutâ, cilia circa oculi globum contracta, foras revocabat. Meatus auditorii caruncalas ſi quæ ipſum obturarent abſtulit. Cui diviſa labra dehiſcerent, [*d*] ab interioribus ſolutionis angulis lineas incidebant antiqui medici, quæ citeriorem partem ab ulteriori diducerent. Ea deinde quæ ſic reſolverant, in unum adducebant. Eadem prorſus erat naſi decurtati, palpebrarum & præputii chirurgia. Parotides, ſi ſine morbo intumeſcerent, ſtatim reſolvebant: [*e*] ſi ex adverſâ valetudine, maturari & quamprimum aperiri commodius duxerunt. Strumas [*f*] & bronchocelem, [*g*] ſi capſulâ continerentur, inciſa prius cute à ſubjectis membranis ſeparabant & radicitùs evellebant. Uvulam nimium pendulam aut induratas tonſillas reſecabant. His quoque in ſynanche [*h*] ſi ſtrangulatus injiceretur metus, aſperæ arteriæ ſectio non incognita. Polypum narium, ſi extrà promineret, orbiculatim ſcalpello vel inſtrumento Myrthiformi, ab oſſibus naſi ſeparabant. Si quid reliquum maneret, vellicatione, agitatione, raſurâ deturbabant: ſi intus in palato, per naſi foramina erumperet, lino nodoſo per nares in os trajecto detrudebant: ſi malignus videretur & pervicax candenti ferro [*i*] abſumebant. Si quis hydrope aſcite corriperetur; huic inflicto vulnere ſub umbilico, quatuor interjectis digitis à ſiniſtrâ parte & fiſtulâ plumbeâ in vulnus inductâ, effuſus humor educebatur. [*l*] In ſtranguriâ cathetere uſi [*m*] ſunt. In veſicâ maſculi, ſi deliteſceret calculus, à latere perinæum ſecabant & digito in anum immiſſo compreſſoque hypogaſtrio expellebant, vel forcipe avellebant; ſed integer ſi detrudi non poſſet, in partes effractum partitim educebant: [*n*] donec Marianus ſanctus [*o*] itinerarii & ductorum uſum deſcripſerit, qualem à præceptore Joanne de Romanis [*p*] inventore didicerat. Albucaſis in maſculis calculo laborantibus feriebat obliquè veſicæ collum *ad latus natis ſiniſtræ* (*q*) neque diſſentiebat à Paulo [*r*] *qui non per medium penem, ſed in alteram partem juxta ſiniſteriorem clunem ducebat lineam.* Quibus ſi addideris Ætium ſectionem veſicæ inferiorem probaviſſe, (*s*) recte percipies ſuperiorem cyſtotomiam qualem poſtea Franco, Medico-chirurgus Gallus ſemel tantum, ſed non ſine proſpero eventu celebravit, (*t*) adeòque triplicem in maſculis veſicæ ſectionem antiquis medicis fuiſſe cognitam. Virginibus vero calculo laborantibus *ſub ima ſiniſteriore urethræ ora, virum perpeſſis inter urinæ iter & os pubis ſectionem tranſverſam* (*u*) *aggrediebantur.* De partu Cæſareo ejuſque feliciſſimo ſucceſſu luculentiſſimas obſervationes expoſuit (*x*) Rouſſetus. Quid de ani Chirurgiâ excogitaverint antiqui ſcitaris? Leonides ſi fiſtulâ vitiaretur anus, in fundum ulceris, ſpecilli flexilis caput immittebat, quod deindè medio digito intrâ podicem intruſo reflectebat, & comprehenſum intrâ ſpecilli ſic recurvati anſam, fiſtulæ latus, uno ſcalpelli contactu abſcindebat. Quod ſi quid calloſum ſupereſſet ſcarificare vel abradere non (*y*) dubitavit; ſed ſi plures ab ore uno ſinus producerentur, Celſus nullum ex iis (*z*) intactum ſi fieri poſſet, ſinebat. Si ulteriora cupis de ani fiſtulis non apparentibus & cæcis, & earum Chirurgiâ, ſit tibi præceptor (*aa*) Ægineta. Hæmorrhoïdum, condylomatum tuberculorum vulvæ & ani, aut ejuſdem in recens natis imperforati, aut in adultis à cicatrice coaleſcentis chirurgiam, apud eumdem dilucidè expreſſam invenies. Propulſis in inguen omento & inteſtinis, non minori arte medebantur. Celſus (*bb*) prolapſum pueris inteſtinum, pilâ faſciæ aſſutâ retinebat, donec laxatæ membranæ firmarentur. Omentum in inguen delapſum ſecto inguine in alvum repellebat, ſed ſi res poſtularet, vel candenti ferro abſumebat, vel vinculo exceptum ligabat, donec (*cc*) excideret. Scroti varices externas admoto candenti ferro (*dd*) ſiccabat, maximè in eo loco ubi venæ implicatæ interſe conglomerarentur. Quibus vero ſuper mediam aut tertiam tunicam venæ tumerent, inciſo inguine, varices

(*a*) *Idem. lib. 6 cap. 6. Ætius, p. 33.*
(*b*) *Paulus, p. 25. lib. 6.*
(*c*) *Id. p. 885.*
[*d*] *Celſus p. 883.*
[*e*] *Idem*
[*f*] *Paulus lib. 6.*
(*g*) *Celſus, pag. 511.*
[*h*] *Anthillus ex Paulo, pag. 17 lib. 6.*
[*i*] *Paulus pap. 13. lib. 6.*
[*l*] *Celſus, lib 7. cap. 15.*
[*m*] *Paulus cap. 59. lib. 6.*
[*n*] *Avicenna pag. 671.*
[*op*] *Ambo Medici Ital. floruêre anno 1533.*
(*q*) *Albucaſis pag. 108.*
[*r*] *Lib. 6. cap. 6*
(*s*) *Vide Aetium apud principes Med. pag. 679.*
(*t*) *Vide Rouſſetum de partu Cæſareo, p. 458.*
(*u*) *Celſus.*
(*x*) *Med. Gallo Belgicus.*
(*y*) *Ex Ætio tetrabib. 4 ſermone 2. cap. 11.*
(*z*) *Celſus, p. 493*
(*aa*) *Lib. 6 cap. 78.*
(*bb*) *Pag. 484.*
(*cc*) *Idem, lib 7. pag 621.*
(*dd*) *Idem, eodem lib. cap. 22.*

ſeparavit & utrimque ligatas; inter utrumque vinculum, ſed repoſito teſticulo reſecavit; neque hoc generis humani ſeminarium abſtulit, niſi malum intra ipſum & intimam membranam ſeu albugineam (*a*) delitefceret. Paulus Ægineta ſi prolapſum in inguen fuiſſet inteſtinum, aperto inguine, pinguedinem & ſubjectas cuti membranas auferebat & peritonæi proceſſum nullâ inciſione violatum & ſine teſticuli amputatione, repulſo inteſtino, ſuturis (*b*) retinebat. Celſus in adultis cremaſteres & ſubjectum peritonæi proceſſum aperiebat, nec tamen ſuturis committebat, ſed repoſito inteſtino vulnus in ſummo inguine, demptis ſcapelli acie habenulis, renovabat; *ut plus carnis creare* (*c*) *poſſet.* In hydrocele verâ, aquâ nempe intra tunicam vaginalem & albugineam conceptâ, rectâ lineâ è directo lineæ ſcrotum dividentis erythroïdem ſecabant, quâ parte à teſticulo magis recederet; ſed teſticulum auferebant, ſi putredinem concepiſſet, injecto cremaſteri & in eo contentis vaſis vinculo iiſdemque (*d*) reſectis. Non aliter in cancroſo ramice vel tophaceo ſe gerebant. Quæ ex Hierone, Megete, Gorgiâ, Soſtrato, de tumoribus umbilici cancroſis, & carnoſis, de herniis inteſtinalibus, epiploïcis aut ventoſis & de eorum affectuum diagnoſi, prognoſi & chirurgiâ protulit Celſus, lectu digniſſima: ſed quæ hic abbreviari non poſſunt. (*e*) Nec minus erudita quæ de conſuendo peritonæo retulit, cujus oras, ſi occalucrint, ſcalpello renovandas docet, priuſquàm ſuturæ committantur, ut facilius à recenti vulnere (*f*) coaleſcant. Mammarum cancrum ſcalpello extirpavit (*g*) Leonides & vaſa nimio cruore manantia cauterio compreſſit & ſi quid ſupereſſet, conſumpſit. Neque antiqui oris carcinomata extirpare aut conſumere ſunt veriti. Hæc chartâ combuſtâ & auripigmento curabat (*h*) Celſus, qui eadem in cole oborta non prætermiſit; ſed vel cauſticis combuſſit, vel ſcalpello quidquid corruptum ſeſe offerret, ad vivum abſtulit. Si punctus nervus in conſpectum non veniret, duas lineas ſibi continuas incidebant veteres, ut vulnus late pateſceret & apertum inglutinatumque diu ſinebant quo ſanies efflueret ſopientibuſque & effluxum ſaniëi provocantibus utebantur, multumque ſciebant non tam à nervi reſectione quam à puncturâ (*i*) verendum. Digitorum pterygio affectis, ſi ad os ulcus ſeperet, ungue reſecto, exulceratam partem ferro (*l*) comburebant. (*m*) Albucaſis oſſis femoris partem quaquaverſum palmi longitudine vitiatam, paulatim abſtulit & oborto callo ægrotus reſtitutus eſt. Nec dubites de patrum noſtrorum in variis vaſis ligandis aut aperiendis dexteritate. Arteriarum capitis & manus ſectione, diutinos dolores compeſcebant. Leonides arteriam, ſi modo vulnus fuiſſet perpeſſa, diſſectam & vinculo utrimque comprehenſam (*n*) ligabat. Cucurbitulis ſcarificatis antiqui (*o*) utebantur. Varices denudatas & obtuſo hamulo prehenſas ſuperne ligabant, inciſaſque & multo ſanguine vacuatas infra (*p*) conſtringebant. Jam vero de cauterio actuali cujus uſu quinqnaginta varios morbos curabat (*q*) Albucaſis, non quidem potentialium defectu aut ignorantiâ; cum ſandaracâ, auripigmento, lixivio & fœce vini uſtâ uterentur veteres: ſed ideo ferro ignito uſi ſunt antiqui Medici, quod & tutius cruſta abſcederet & relicta cicatrix robur majus debilitatis (*r*) impertiret. Ut primum pulveris pyrii uſus invaluit quinam primi de inflictis pyrobolarum fiſtularum exploſione vulneribus, docte diſſeruerunt? Certè Maggius & Ferrius. (*s*) Quinam luis Venereæ ſymptomata rimati ſunt ipſiuſque curam primi aggreſſi ſunt? Certe hydrargiroſcos repertor, Berengarius, (*t*) Ferrius multique alii. Mitto brevitatis cauſa multorum & magnorum virorum nomina qui rebus Anatomicis & operibus chirurgicis ante hæc ſecula duo floruerunt. Verum neque hi, neque antiquiores Medici, ſoli chirurgiam illuſtrarunt, ſed qui decimo-ſexto & decimo-ſeptimo ſeculo floruerunt, quos ſive dogmatico ſtylo ſcripſerint, ſive obſervationes ſuas chartæ mandaverint, ex ungue leones reperies. Præcipuè autem chirurgiam ſingulis diebus exornant noviſſimorum Medicorum inventa Mechanica, Phyſica, Anatomica & Chirurgica, eorum imprimis quos in ſinu alunt per totam Europam, academiæ magnorum virorum feraciſſimæ, quorum ſola

(*a*) *Idem, ibid.*

(*b*) *Paulus, cap. 66. lib. 6.*

(*c*) *Celſus, lib. [illegible]. cap. 20.*

(*d*) *Ægineta, lib. 6. cap. 62.*

(*e*) *Lib. 7. cap. 140.*

(*f*) *Lib. 7. cap. 11.*

(*g*) *Ætius tetrabit 4. ſermone, [illegible]. cap. 45.*

(*h*) *Lib. 6. cap. 25.*

(*i*) *Paulus, lib. [illegible]. cap. 54*

(*l*) *Idem, lib. [illegible] pag. 55.*

(*m*) *Albucas. lib. 2. obſerv. 86.*

(*n*) *Ex Ætia tetrab. 4. ſermone 30*

(*o*) *Aretæus, lib. 1. de acutis cap. 10.*

(*p*) *Ætius.*

(*q*) Freind. hiſt. de la Med. pag. 179.

(*r*) *Ætius tetrab. 4. ſerm. 4. cap. 25.*

(*s*) *Medici Italic.*

(*t*) *Qui primus obſervavit vulnera cerebri non ſemper eſſe lethalia & cranii ſuturas poſſe innocuè terebrari.*

nomina & obſervationum tituli plurima volumina complerent. Jam verò ſi Chirurgi præcipuè Galli imò & Pariſienſes qui ſe omnibus præſtare aſſerunt, ſuorum elucubrationes recenſeant, vix ultra ſeculum unum quicquam repetent, præter opera Pinæi, Guielmæi & Paræi qui immortalitatem ſibi comparaturus, juniorum Medicorum induſtriam ad condendos libros redimebat. *(a)* Priùs enim paucos occupabat ſcribendi deſiderium. Sed de comparandâ ſcientiâ magis quam de inani gloriâ ſolliciti, ſcriptis & lectionibus acquieſcebant Medicorum Facultatis, quos penes erat docendorum Chirurgorum ſummum jus atque authoritas. Neque enim, (ex decreto celeberrimæ Univerſitatis Pariſienſis,) fas erat cuiquam catalogo Chirurgorum Pariſienſium adſcribi niſi in ſcholis Medicis Doctores Latinè docentes audiviſſet, *(b)* nec poterat quiſquam ibi admitti niſi litteris humanioribus ornatus. *(c)* Imò candidatorum examini præerant quatuor Medici à Facultate, & è Facultatis ſinu electi *(d)* quo jure poterant Chirurgi, filii Univerſitatis dici, & togatorum nomine ſalutari. Quare non tam Chirurgi opifices erant, quam Medici vulnerarii. *(e)* Hodiè verò nil quicquam horum requiritur, verùm candidati Gallicè à magiſtris interrogati Gallicè reſpondent; quo argumento illiterati & optimorum authorum lectione caſſi, adeòque degeneres cenſeri debent. Attamen in tam curto ſcientiæ apparatu ſcribendi libidine capiuntur. Verùm an eorum dicacitas ſapienti antiquorum ſilentio anteponenda & quonam proceſſerint eorum conamina ſcire cupis? Evolve libros Anatomicos qui ex ipſorum tonſtrinis noviſſimè prodierunt. Ab his ſi ſua, quiſque Medicus inventor repetiverit, certè jejuni & ſteriles videbuntur. Si verò quæ ad operationes ſpectant cenſuræ commiſeris, & pauca ad artem manualem ſpectantia eaque maximam partem ex Gallicis Medicorum, quorum diſcipuli haberi nolunt lectionibus excerpta laudaveris, ubi de affectuum externorum, imò etiam internorum cauſis, de diagnoſi & prognoſi, de regiminis & pharmaciæ ſubſidiis videbis ambitioſè differentes, ipſos in meſſem alienam falcem temerè immiſiſſe confitebere. Sed riſum vix teneas cum partium aut affectuum nomina Græco fonte cadentia, *(f)* eruditionis laudem aucupaturi, verum ignorantiæ luto immerſi, ad origines ſuas referre ambiunt: indignationem verò non continebis, cum veteres Medicos omnium operationum inventores (& quibus eo ſolo nomine ſumma debetur veneratio) ſed quorum opera & fortaſſè nomina neſciunt, nedùm librorum ab ipſis ſcriptorum vim ſentiant, ignarorum nomine ſalutant. *(g)* Interea in ſcriptis ſuis errare malunt quam à doctis Medicis emendari & in caſibus Chirurgicis ſibi ſe ſufficere aſſerunt, & Medicorum conſilia eludere conantur. Sed eſto ſecandi, urendi, & faſciandi peritiâ valeant & ſitum partium noverint, ſi de tumore ſit quæſtio quis de ipſius causâ, naturâ, quis de extirpationis aut inciſionis neceſſitate ac modo, de tempore agendi, de loci electione, de præparatione Medicâ aut diæthetica melius decernet ac Medicus? Quis ab extirpando mammæ ſchirro ſæpè pharmaciæ & regimini ceſſuro prurientes Chirurgi manus ſecurius continebit? Quis an ulcus ſit ad cicatricem perducendum, aut ſinendum, an potius exſiccandæ excrementorum ad ulcus protruſorum viæ melius judicabit? Quot inconſulto Medico gaudenti ægroto perperam exſiccata ulcera cauſam mortis proximæ reliquerunt! Quot carcinomata quæ melius non tetigiſſet operarius, extirpata numeroſam & brevi lethalem ſui progeniem reliquerunt? Quis futuros vulneri aut ulceri caſus prævertet, aut præſentes revocabit melius ac Medicus, qui antiquorum & recentiorum Medicorum ex aſſe hæres, ex ipſorum ſaluberrimis fontibus totius artis hauſit ſubſidia & omnium Medicinæ partium ſalutifero concentu Luxuriat? Dum tantum quæ ad ſitum partium & manuale officium ſpectant à Medicis ad Chirurgos fuêre derivata. Hos ſcilicet artis ſuæ ſolùm uſufructuarios, illos proprietarios, haud iniquus quiſque judex pronuntiabit. Neque enim Anatomiam & Chirurgiam inventas aut multum illuſtratas putes ab hominibus ſinè litteris, quorum tota ſupellex in myrothecio continetur & opera igne & forficibus peragitur. Quod ſi quidam

(a) *Riolann in antropograph. pag. 31.*

(b) Decret de l'Univerſité 13 Decembre 1437. & du 5. Mars 1515.

(c) Ordonnance de François premier Janvier 1744.

(d) Arrêt du Parlement 10. Février 1552

(e) *Quales habuêre & habent Anglia, Italia, Germania Hiſpania.*

(f) Dionis cours d'operations de Chirurgie Edition 11. pag. 233, 238, 274. & preſque par tout.

(g) Garengeot, traité des operations de Chirurgie, *tom. 2 p. 142.*

præ cæteris eminent, id debent Medicis à quibus didicere, sed adeò sunt magistrorum suorum immemores ut pudeat illos nominare per quos profecerint; nec tantum Chirurgi sunt Medicorum discipuli, sed adeò ministri, ut veniam petat Avenzoar quod contra patris & patriæ morem manualem artem exerceret quam tunc temporis *honorati & nobiles* (sic enim Medici vocabantur) *ad servitores & ministros* relegabant. (*a*) Attamen quantâ sui jactantiâ Chirurgiam à Medicinâ liberam pronuntiant! Verùm hanc Medicinæ ereptam tantum esse manualem & Chirurgorum ferè omnium industriam merum esse habitum, actuum manualium repetitione comparatum & vix ultra digitos operantis ascendere plane obvium. Hæctantum de Chirurgorum peritissimis, quorum Urbs Galliarum princeps ex quadringentis magistris vix quadraginta suæ artis conscios (*b*) numerabit. Verum si eos qui in secundi aut tertii ordinis urbibus, vel ruri habitant censuræ commiseris, vix centesimum quemque invenies anatomiæ & chirurgiæ operatricis præceptorum conscium: Ne tamen otiosi maneant, errore vulgi facti Medici, morborum internorum curam aggrediuntur. Sed quanta hominum strage? Heu! nimiùm scimus. Cum ergo Medici anatomiam & chirurgiam invenerint & foveant singulisque diebus exornent, & utraque si paucissima excipias, ab iis ad chirurgos tanquam ab architectis ad operarios fuerit derivata; cum denique tam pauci reperiantur chirurgi, artis quam profitentur, præceptis imbuti; an tuto licebit ipsis ad arbitrium inconsulto Medico artem suam exercere? minime gentium. Quamvis enim & manus dexteritate valeat chirurgus & situm partium noverit, & in arte senuerit, cæteris Medicinæ partibus destitutus quarum cum Medicinâ indissolubilem nexum invenies & quibus chirurgia ut bene procedat carere non potest, *suâ experientiâ & longævitate, nihil indè certius reportabit, quam, in nudâ illâ & nullâ ratione suffultâ empyriâ, firmiorem* (*c*) *obdurationem.* Hinc patet quam perniciosum sit humano generi, quod in quocumque etiam externo malo inconsulto Medico operationem quam voluerit chirurgus (*d*) eligat. At verò res tutissimè peragetur, si Medico docenti attentas aures præbeat ipsiusque præsentiâ, consilio & authoritate adjuvetur.

(*a*) Freind hist. de la Medecine p. 171. & Avenzoar.

(*b*) Le Chirurgien-Medecin, p. 4. *Ubi doctissimus autor Chirurgorum late superbiam retundit.*

(*c*) *Sthal. dissert. de off. Med. circà casus Chirurgicos.*

(*d*) *Rhodius ad Conringii introd.* p. 400.

ERGO MEDICO PRÆSENTE, EOQUE imperante qualibet Operationes Chirurgicæ celebrari debent.

Asserebat MICHAEL-PHILIPPUS BOUVART, *Saluberrimæ Facultatis Medicæ Parisiensis alumnus, & Doctor Medicus Rhemensis.*

IN AULA

D. D. NICOLE,

Prætoris Amplissimi, Anno R. S. H. 1732. à secundâ ad vesperam.

CARNUTI,

Apud JACOBUM ROUX, Illustrissimi ac Reverendissimi Domini D. Carnotensis Episcopi, atque Cleri Typographum, viâ vulgò *des Changes*, sub signo Spiritûs Sancti.